



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XX. Officium Episcopi non admittere, ut in otium ille se referat, & à
gerendis negotiis absteineat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

legia à majestate civili expetere haud vererentur. Inauditum antea seculis omnibus fuisse scribit Georgius Fabricius *Orig. Sax. lib. 2. p. 215*. Episcopos privilegia de venationibus ferarum ab Imperatoribus petere. Tale, inquit, *Erpo, Antistes Verdenfis senectute jam delirus, sed, in suâ juventute præfulximus, ab Orthone III. flagitavit & obtinuit*. Sic ergò tandem in genere licitorum poni cœpit, quod antiquitus illicitum & itatui clericorum prorsus adverfum creditum fuit.

CAP. XX.

Officium Episcopi non admittere, ut in otium ille se referat, & à gerendis negociis abstineat.

I.

Otiosos diis hominibusque infensos esse, Hesiodi est sententia, quandoquidem anima humana in id condita est, ut perpetuò aliquid agat, etiam tùm, cum otiosa esse videtur, & sensus, per quos operetur, altissimo somno sepulti jacent. Et propterea in homine vigilante, & naturæ bonis fruente otium cenfetur esse exitiale, illis verò, qui sacris destinati sunt, pestilentissimum. Declamant passim præter gentilium scriptores in otiosos, Ecclesiæ Doctores. Chrysostomus *hom. 7. in 2. Cor.* Qui talis est, *instar erroris cuiuspiam quovis malo transfigitur; atq; hujusmodi animam, non secus ac puerum licenter vagantem, quisquis vult in servitutem trahit. Quoniam enim ipsa hac in more positum habet, ut aliquid operetur, si quidem ipsius in rebus honestis actionem comprimās, quandoquidem nihil agere non potest, alia pariat necesse est. Quemadmodum enim terra, cum nec feritur, nec plantatur, herbarum duntaxat profert: eodem quoq; modo anima, cum necessariorum rerum nihil habet, quod agat, atq; animo aliquid agere cupiat, pravis se rebus tradit. Et quemadmodum oculus, quando cernere non cessat, prava cernat necesse est, cum bonis objectis caret: sic etiam animus, cum se à necessariis abduxerit, jam circa inutilia versatur.*

II. Idem Chrysostomus *homil. 35. in act.* Quid foedius homine, qui non habet, quod operetur, quid laboriosius, quid miserius? Nonne hoc plurimis vinctulis deterius, toto die in foro quotidie oscitare, & spectare homines prætereuntes? Anima enim natura est, ut semper moveatur, & quiescere nequeat. Deus hoc animal condidit operationibus deditum, & ex natura ejus est, operari, & præter naturam ejus, esse otiosum. Ne ab agrotantibus causam probemus, sed à re ipsa experimentum capiamus, nihil vacatione molestius, nihil otio. Ideo necessitatem operandi indidit nobis DEUS. Omnia enim ab otio damnum accipiunt. Etenim oculus & os, & venter, & unumquodq; membrorum, nisi quod

quod suum est, operetur, in extremum incidit morbum. Hoc autem maxime in anima est.

III. Hæc Chrysoſtomus in quoscunque otio deditos, quæ multo magis ad sacerdotem applicanda sunt, ac proinde, qui cum illis agunt Ecclesiæ Doctores, summoperè eos admonere solent, ut ab otio sibi caveant. Certè non minus & fortè multo magis Episcopis dicta conſebuntur, quæ monachis præscripsit Hieronymus ad Rusticum, apud Gratianum c. nunquam, de consecrat. dist. 5. Nunquam de manu tua vel oculis tuis liber psalterii discedat, — nec vacet mens tua variis perturbationibus, qua si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducunt ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut semper diabolus te inveniat occupatum. Si apostoli habentes potestatem de evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plectæ viminibus, sarratur humus, areola aquo limite dividantur, in quibus cum olerum jactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem posita, aqua ducantur irrigua. — Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absq; opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur permissioſis cogitationibus mens, & ad instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divarices pedes suas &c. Etsi verò protestetur ibi Hieronymus, se non de clericis in præſenti disputare, sed monachum instituere, generaliter tamen, quod inde elicitur axioma de fugiendo otio, ad Episcopos potiori jure applicatur, quod negociolum sit eorum officium, cum monachorum vita tot ac tantis occupationibus non sit implicata.

IV. Negocia autem, quæ incumbunt Episcopis, & quibus illi suum transigere debeant otium, ne compressis, ut ajunt, manibus sedeant, optimè recensentur in Concilio Meldensi c. 28. Ipsi Episcopi concessum sibi otium non in suas voluptates, sed in divinum & officiosum convertant negocium: quatenus studentes prædicationi & correctioni, atq; confirmationi, quod hæctenus per parochias fuit neglectum, solenter & devotissimè de cætero sit correctum & emendatum. Et non propter suam inquietudinem Episcopi ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligentes proprias deserant civitates; sed ut parochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonicè cum suis filiis degant, & hospitalitate ornati, qua jam penè propter diversas rapacitates annullata est, non solum in oculis Domini propter obedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum & bonam testimonium secundum sanctum adquirant Apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos & doctrinâ, & castitate, & sobrietate, atq; hospitalitate secundum eorum ministerium ornari compellant.

V. Quapropter vitio vertebant Episcopis, qui gratiâ laboris fugiendî muneri suo renunciare hand vererentur. Inter epistolas Leonis Episcopi Romani nonagesima secunda scripta est ad Rusticum Narbonensem, quâ multis verbis diluadet, ne munus susceptum deserat, & amore otii ab eo desistat. *Miror, inquit, dilectionem tuam in tantum scandalorum quâcumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atq; otio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commissa sunt, permanere. Dicente verò Domino: beatus qui perseveraverit usq; ad finem, unde erit beatus perseverantia, nisi de virtute patientia? — Permanendum ergò est in opere credito, & in labore suscepto, constanter tenenda est justitia & benignè præstanda clementia. Sic & Bernardus rescribens ad eum, qui Ecclesiam suam, cui præerat, relinquere ideò volebat, ut Hierosolymam pergeret. *Quâ ratione, inquit, curam tibi creditam animarum exponere debeas, omninò non video. Quid enim? blanditur deposita sarcina libertas? sed charitas non quarit, quæ sua sunt: Fortè quietis provocat, & otii gustus suavior, sed evacuatur dispendio pacis: Alligatus es Uxori, noli quarere solutionem. epist. 82. Et Fulbertus Episcopus Carnotensis ad Ebalum Archiepiscopum Remensem epist. 53. Præterea Beroldo Episcopo referente, audiivi sic te mærore afflictum, ut curam gregis Domini relinquere velis. Quod ego acriter & amice redarguo, testans te, si hoc egeris, non fuisse pastorem.**

VI. Nec facilè cuiquam permittebatur, ut muneri suo renunciare & ad pristinum otium redire licitum esset. Præmitti solebat aliqualis causæ cognitio, etiam in majore synodo nonnunquam, ne quid temerè fieret, aut scandalum inde aliquod metuendum esset, aut etiam Episcopus ipse renunciaturus in altiore gradu constitutus esset. Eustathius Pamphiliæ Metropolitanus curas molestiasque, quas Episcopale munus continebat, non ferens, libello, quo abdicationis causæ comprehendebantur, oblato, ab Episcopatu ultrò se abdicaverat. Abdicatione admittâ, provinciæ Episcopi Theodorum in ejus locum substituerant, Re delatâ ad Synodum Ephesinam, quæ tùm congregata erat, parùm benignè id acceptum fuisse, ostendunt verba epistolæ Synodicæ scriptæ ad Synodum Pamphiliæ: *Oportebat enim semel concessitâ sacerdotalem curam cum tanto spiritali robore geri, ut laborem & sudores sponte ferat. In gratiam tamen Episcoporum Pamphiliæ, qui jam successorem fecerant Theodorum, excusatum utcunque reddunt Eustathium, dum illicò subjungunt: Quoniam autem pusillanimum se declaravit, hoc ex inconsiderantiâ rei magis, quàm ignaviâ vel torpore passus ordinavit necessariò vestra pietas pienssimum & DEO amantiissimum fratrem nostrum & Coepiscopum Theodorum, qui Ecclesias curet, &c.*

VIII. Supra ex Concilii Meldensis canone 28. adduximus, prohibitum illiè fuisse, Episcopos non debere propter inquietudinem (uti habet editio Sir-

mondi

mondi, siue potius, propter suam quietem, uti legitur apud Reginonem *lib. 1. de Eccles. disciplin. c. 5.* ad remotiora loca secedere, & ministerium negligentes, proprias deserere civitates. Solebant enim illi quandoque, ut otio indulgere possent, & fastidia, quæ ex officio quotidie resultabant, declinant, ad remotiora suæ diœceseos loca, & parochiam aliquam rusticanam se conferre, ibiq; retrahere se ab negociis quotidie emergentibus, & transdere in otium delicatum admodum, & ad voluptatem corporis maxime accommodatum. Idque jam ante seculo exeunte IV. prohibitum erat in Concilio Carthaginensi V. c. 5. Placuit, *ut nemini sit facultas, relictâ principali cathedrâ ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propriâ diutius, quam oportet, constitutum curam, vel frequentationem propria Cathedra negligere.* Nec dubito plurimos alios in eandem rem in diversis conciliis editos fuisse canones, quorum contemptu commotus Karolus M. specialem istam edidit constitutionem, quæ habetur *lib. 1. capitular. cap. 41.* Ut non liceat Episcopo principalem cathedram suâ parochia negligere, & aliquam Ecclesiam in suâ diœcesi magis frequentare.

VIII. Uti verò fieri plerumque solet, ut in fraudem legis novæ excogitentur rerum formæ, quibus obligatio legis eludi queat: ita etiam circa hunc articulum contigit, cujus vis ut infringeretur, in subsidium vocare oportuit corruptelam aliam. Hanc enim fini, ut ne divellerentur ab otio Episcopi, quod maxime amplexabant, valde aucta & ampliata fuit potestas Chorepiscoporum. Idque haud obscure innuit dicti concilii Meldensis canon quadragesimus quartus in verbis: *Nam si Episcopus civitatis propter desidiam, aut secularem pervagationem, vel propter infirmitatem modum suum Chorepiscopis transcendere consenserit, &c.* Nec minus perspicue eorum originem exponit Hincmarus Remensis *epist. 45. n. 16.* Sicut & quidam Episcopi etiam à longè precedentibus temporibus scandalum pro suâ quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis, quæ summus Pontificibus conveniunt, agere permittentes. Sed enim de Chorepiscoporum origine, statu & conditione sufficienter dixi *libr. 1.*

CAP. XXI.

*Episcopum propter curam animarum, quam gerit, tunc
& alia, quæ quotidie occurrunt negocia, perpetuò presentem
esse debere suæ Ecclesie.*

I.

Diximus in capite antecedente, tam negociosum esse officium Episcoporum, ut non admittat otium, nec excusari proinde posse, qui delictis.